



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Marianvs Et Iacobvs MM. 30. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Ad prandium signo excitis domesticis, Abbas, conspectis in mensâ panibus, unde illati essent, rogavit. Oeconomus respondente, se Fratrum numero æquatos panes reservasse, omnes tolli iussit, ad fiduciam & obedientiam anxias suorum cogitationes revocaturus. Ex humanis abiit octogenario major, die jam prospecto atque indicato. Curam suorum ne à morte quidem posuit, increpare somnolentes solitus, excitare- que ad divinas laudes, mirâ benevolentia, quâ tamen erga nos Angeli quotidie utuntur, exiguo operæ pretio. Quid vis? Deus ipse ad ostium stat & pulsat; neque tamen expergisceris. Ex *Lippeloo.*

SS. MARIANVS ET IACOBVS  
MM. 30. *Aprilis.*

**A**Nnus ducentessimus sexagesimus secundus par nobile Martyrum habuit: MARIANVS alter, alter IACOBVS fuit. Et illum quidem pollice suspensum pondera talis annexa tentissimis nervis ad ima retrahebant; sed ad carceres reducti, animus in Cælum abiit, æterni convivii promulsæ recreandus, quam in pulcherrimum inducto triclinium, S. Cyprianus propinavit, haud gravatè pro unâ illius guttulâ omnem sanguinem daturus. IACOBVM interea proprio Martyrum baltheo



theo Angelus cinxit. Ita hic robur suū  
inquit, alter bibit. Nec multò pòst no-  
vus cælo nuntius mittitur de venustio-  
ribus ephebis, qui sero vice torquis in-  
dutus, & palmam ventilans (nam &  
ipse nuper unà cum matre & gemello  
trucidatus fuerat) MARIANVM &  
IACOBVM ad martyrum condicere  
convivium jubet. Nec illi tam lautas  
epulas aspernari, aut morari diutius  
ausi, posterâ die dederunt symbolum  
ambo capite plexi. Nihilominus equi-  
tes toto diffusi cælo malum minari car-  
nificibus visi, qui tam candida inno-  
centiæ lilia demessuissent. *Ex Surio.*

B. FRANCISCVS SENENSIS.

30. Aprilis.

ETIAM FRANCISCVM viderunt  
Senæ libertatem mundi repudiare,  
& servis VIRGINIS accedere. Quan-  
quam non tunc primùm transit in ser-  
vitutem VIRGINIS; natus in hanc  
est. Siquidem mater FRANCISCO  
plena liliū sibi parere est visa, ex quo  
alia atque alia pullularent, quibus  
MATREM VIRGINEM coronaret.  
Videbatur deinde, nescio quis, Pontifi-  
ciâ majestatem insignis sceptrum  
tangere, spondereque, liliū, quod ferret,  
candori nihil obfuturas mundi spinas.  
FRANCISCVS denique lustrico fonti  
admotus plūs quam pueriliter exultare  
est